



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Caroli Spinolæ Societatis Iesv, Pro Christiana Religione In Iaponia Mortvi

Spinola, Fabio Ambrogio

Antverpiæ, 1630

Cap. III. Virtutum exercitamenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46233)

P. CAROLI SPINOLÆ. II
dem habuit scholam. Annum hoc labore
defunctus, simul Theologiæ discendæ, si-
mul Mathematicæ docendæ par ingenium
attulit.

CAPVT III.

Virtutum exercitamenta.

DVM Philosophiæ Theologiæque altio-
ribus disciplinis imbuitur, non capacius
scientiarum pectus, quàm colendis virtutibus
procliuem animum probauit. Eiusmodi enim
inter hæc studia fuit Caroli vita (si intimo-
rum sodalium testimonijs credimus) vt do-
mesticis fuerit exemplo, externis admiratio-
ni. Hodieque supersunt, qui (vt eorum ver-
bis vtar) sic de Carolo testantur, *Religiosum*
eum fuisse singulari animi feruore, DEO peni-
tus deuotum addictumque, Regularum obser-
uantissimum; tamque amantem tolerandi ad-
uersa, quàm hostem suarum commoditatum.
Eiusmodi verò constantiâ præditum in rebus
spectantibus ad gloriam DEI, vt verè scitum il-
lud vulgò obseruaret, Age quod agis; nec prom-
ptior videretur in suscipiendis pro DEO labori-
bus, quàm tenacior in perficiendis. Atque vt ad
res singulares descendam, auidissimus in pri-
mis erat orationis, præcipuè illius quæ per-
agitur mente; cui in dies plus aliquanto tem-
poris,

poris, extra præscriptum, tribuebat. Stas ve-
rò orandi horas eâ curâ diligentiaque exple-
bat, vt iam inde à Tirocinij ipsius exordio
(quod narrauit mihi quidam è Sodalibus illi
familiaris) consueuerit; primo quo orandi
tempus indicatur signo, in genua se abijcere
prostratum, eoque corporis habitu perseuera-
re immotum, dum hora præterisset. Oratio-
nes duas, quarum procul dubio primam, for-
tè & alteram composuit, quotidie voce reci-
tabat; ijs, non manè modò, cum è lecto sur-
rexisset, sed crebrò etiam (vt equidem credo)
per diem, DEO se iungebat. Quæ ambæ, quia
ardentes affectuque plenæ, atque indices sunt
ingentis illius desiderij, quo martyrium fer-
uentissimè expetebat, huic inferendæ loco
visæ sunt.

*Adoro te sancta Trinitas, Pater, Filius, &
Spiritus sanctus, Deus meus & omnia. Gratias
ago tibi pro Creatione, Redemptione, Conserua-
tione, sanctissimis Sacramentis, Vocatione ad
hanc Societatem, & pro omnibus innumerisq;
beneficijs mihi & toti mundo concessis. En, Do-
mine mi, me totum, & quidquid intra me ac ex-
tra me est, cogitationes, verba, opera huius diei,
ac totius vitæ meæ, in sacratissimi Filij tui San-
guine inuolutum, in tui amorem & gloriam, ac
proximorum salutem tibi offero & dedico. Au-
fer à me quidquid displicet in me, & da mihi
quid-*

quidquid tibi placet. Dirige, & posside me iugiter secundum beneplacitum tuum: da, per viscera B. Virginis, ut numquam te offendam, sed semper faciam tuam voluntatem. Perfectionem in spiritu Societatis IESV tribue, ut gaudium meum sit plenum. Perfunde me spirituali letitia, ut te in omnibus & ubique inueniam, ac tandem per martyrij palmam ad te peruenire merear. Amen.

Altera huiusmodi est:

Dignare, benignissime IESV, per hoc sanctum nomen tuum esse mihi IESVS, & dare mihi spiritum Societatis IESV. Inserere, quaeso, cordi meo hoc amabile nomen tuum, ut eius dulcedine pascar, eiusq; amore ita ardeam, ut moriar in te, IESV mi dulcissime, IESV mi suauissime, IESV mi dilectissime, innocato semper hoc iucundissimo, hoc mellifluo, hoc salutifero nomine tuo, IESV, IESV, Amen.

Peculiaris quadam Religione venerabatur augustissimum Eucharistia mysterium; quam (præterquam quod viseret adoraretque per diem sæpius, ac sumeret quot hebdomadis, ut solent, qui in Societate non sunt Sacerdotio initiati) sæpius etiam usurpabat, permissu Præsidentum; eo ferè die, qui laxandis Scholasticorum animis datur, cuius ille maximam partem (in suburbano rurè, quo cæli exercitijque causâ itur) cum Sodalibus quibusdam,

ex

ex condito, cælestibus de DEO, de virtute, sermonibus consumebat. Nec aliter quàm sanctissimis id genus colloquijs horam (quæ à prandio cœnaque remittendæ studiorum contentioni præbetur) expendebat. Si autem fortè mentio incidisset, pro Christo in furcâ aliquâ moriendi (quam sperare paratam sibi in Iapone, dicere consueuerat) tum verò verbis ille gestibusque tam ardentibus utebatur, vt audientes faciliè inflammaret. Rarâ quadam teneritudine, beatissimam Virginem reuerbatur; quam cum priuatis tum publicis prodebat sermonibus, quos affectu fiduciaque plenissimos habuit, cum Breræ Parthenij Sodalitij congregatione quadriennio administrauit. Inter reliquos, singularem adinuenit precandi modum, repetitâ nempe ad coronulam nonies salutatione Angelicâ: quam voluebat interiore quodam sensu, meditando vnum aliquod è nouenis beneficijs Virgini concessis à Christo; nouenûm vtiq; mensium fructu, quibus in vtero Virginis fuit. Id precis genus, si cui fortè imitari lubeat, ad calcem Libri attextetur. Flagrabat immensâ animarum lucrâdarum cupiditate, quæ prius etiam quàm earum procurationi Sacerdos adhiberetur, quâ potuit, erupit. Subinde namque longiore illo scholarum iustitio, (quo sub anni finem vacatio datur)

datur) ille, alterius cuiusque laxamenti oblitus, pagos castellaque concionabundus obibat, agrestesque animas sanctioris vitæ rudimentis excolebat. Cui operi tam erat additus, ut si fortè Iaponicam missionem (quam gentis illius saluti procurandæ ambiebat) à Superioribus non impetrasset, omnem retrò vitam docendæ Catechesi fuerit consecraturus; quemadmodum scriptis ad Præpositum Generalem literis flagitarat. Hunc ipsum zelum, cum scholarum Magistrum ageret, formandis discipulorum ingenijs; dum Sodalitio præesset, erudiendis Sodalium moribus, explicauit. Ita quippe interualla temporis dispunxerat, ut suâ cuique attributâ horâ, seorsim cum vnoquoque tractaret. Et nunc salutis commune negotium, aliàs meditandi artem, nonnumquam puritatis amorem commendans, optima diuini timoris semina tenellæ illi ætati, & ad omnem virtutem facili committebat. Quâ industriâ iuuentutis animos insigni adeò feruore accendit, ut quidam præcipuâ nobilitate clari, non sine admiratione, approbationeque aliorum, subinde visi sint, in publicâ Gymnasij areâ, Christianæ humilitatis mortificationisque exercitia frequentare. Alij, contemptâ sæculi vanitate, in Cœnobis discessere, vulgoque insignes morum commutationes consecutæ sunt.

sunt.

sunt. Nec minus ipse, sui domandi exercendi-
que, ac patiendi pro amore Christi, studio
ferebatur. Nullius quippe admittebat im-
munitatis priuilegium, etiamsi tenuitas vi-
rium, multo sanguinis sputo, morborumque
vexatione attrita, iustam posceret causatio-
nem. Verebatur nempe, si rebus obuijs non
vteretur, viam sibi in Indiam præclusum iri.
Corpus macerabat voluntarijs ieiuniorum,
flagellorum, ciliciorumque pœnis. Frequens
Nosocomijs nauabat operam, adducto non-
numquam è congregatione Marianâ Sodalium
grege. Perpetuò excubabat in sui ipsius
contemptum, publicus vitiorum suorum ac-
cusator & vindex. Diuitiæ illi erant, subleua-
re mendicationibus egentes; delicia, nihil ad-
mittere deliciarum, sed quàm longissimè ab
ijs abesse, quæ vel speciem haberent speciosi.
Fine studiorum, admonitus de propugnandis,
in confesso publico, Theologiæ iam
emenfæ quæstionibus; id honoris quàm stu-
diosissimè deprecatus, non obtinuit apud Su-
periores. Nactus discipulorum quæ poterat
aduersaria (quibus illi ea exceperant, quæ
ipse Mathematicam docendo dictarat) sicubi
fortè suum repererat inscriptum nomen, ex-
punxit. Qui astus, etiamsi quidem pa-
rum valeret obscurando Auctori; planè ta-
men ostendebat, quàm alienus esset à rebus
omni-

omnibus, quæ opinionem illi apud homines conciliare possent. Etiam si verò naturalibus ingenij, iudicij, scientiarumque ornamentis admodum esset spectandus, numquam vilius altioris spiritus indicium fecit aut existimationis, quàm se vel supra inferiores efferret, quibuscum affabili familiaritate consuêrat. Neque solùm seipsum aspernabatur, sed illatis quoque iniurijs, acceptoque gaudebat contemptu. Cùm Genuâ in Indias solueret (quò tribus præcipuè de causis se ire affirmabat, nimirum, vt ignaram veræ Religionis gentem instrueret; vt quàm longissimè à consanguineis abesset; vt denique honoratorum munerum, quæ sibi fortè Superiores imposuissent, occasionem subterfugeret) triremis Præfecto, singularis illius habendi cura, cùm à cognatis tum à Patribus fuit commendata, ne commodus ei deesset locus. Permisit tamen, qui suos scilicet periclitari hisce experimentis solet, vt nullo honoris discrimine, in imo saburræ loco, inter ipsas sentinæ remigumque vilissimorum sordes locaretur. Sed neque hîc iniuria stetit: nocte illâ totâ, quæ lucem, quâ vela facienda erant, præcessit, mancipiorum nautarumque risui ludibrium præbuit, eâ morum constantiâ, vt non solùm nullum daret aut voce aut gestu irritatæ patientiæ signum, sed contrâ, multa hilarita-

B

larita-

laritatis ederet argumenta. Sic manè, cum
 triremis fortè afflicta scopuli labefacta, in por-
 tu manere coacta est, e vectoribus intelle-
 ctum, qui virtutem patientiamque hominis
 fuerant admirati. Virtus nimirum cuiuscum-
 que vel nocentissime linguæ afflatibus obscu-
 rata, decus tamen venerationemque nec in
 ipsis maledicentium animis amittit. Absoluo
 narrationem, si frustum adiecero litterarum,
 quas 6. Decembris anni 1595. Genuâ Me-
 diolanum scripsit Patri Pompilio Lamber-
 tingo, Socio suo, cum idoneam nauigandi
 tempestatem opperiretur; è quibus elucet de-
 siderij non leuis specimen, quo tenebatur, ad
 tolerandum difficultia quæque pro Christo.
 Sic habent: *Præteritis diebus, ne tempus perde-
 rem, Litanias collegi nostrorum, qui huc vsque
 pro Christo sanguinem fudere. Inueniq; in Vi-
 ta P. Borgiæ, quam Ribadineira Hispanicè scri-
 psit, nomina Sociorum omnino 40. quæ ad eum re-
 quirebam, ab hereticis, odio Religionis, demer-
 sorum in mare. Nomina prætereà reperi alio-
 rum nouem, qui in Floridâ Insulâ ob eandem
 causam interempti sunt. Duxi ea Reuerentia
 vestra perscribenda, ut numerum haberet abso-
 lutum, meiq; subinde memor, eorum me preci-
 bus cõmendaret, ut & virtutes imitari queam.*
 Deinde post pauca: *Quid me vult facere? Si
 pati aspera non poterimus, at saltem delectabit
 specta-*

spectare quæ alij tolerarunt, eorumq; nos flam-
 mâ accendere ac parare. Ecquando eris illud
 tempus! ô dies! ô hora! ô momentum! ô Pater
 Pompili, quanta suauitas, vel cogitare secum
 pœnas mortis pro Christo tolerata! Ecquid er-
 go erit ipsum mori? Sic verò epistolæ clausu-
 lam absoluit: *Iam Reuerentia vestra hoc tam
 insigne munus meum remuneretur, visendo se-
 mel ad sacratissimum Christi clauum; eumq;
 deprecari, vt illo mihi cor configat, affixumq;
 pedibus suis retineat in cruce.* Per hanc occa-
 sionem, eos venerari cœpit, qui sanguinem
 Christo impenderant in Societate; priusq;ue
 eorum nomina, catalogo in morem Litanie
 collecta, priuatim recitare, quàm publicè vul-
 garentur adeò, vt sanctis eorum vestigijs in-
 sisteret, memoriam quoque oculis animo-
 que volebat esse impressam.

CAPVT IV.

Missio Cremonensis, & in Lusitaniam.

ANNVS agebatur 1594. decimus ab in-
 gressu Caroli in Religionem, vltimus-
 que studiorum; cum, pro more Societatis,
 sacris Ordinibus Sacerdotioque est initiatus.
 Noua hæc dignitas nouum ei affluit ardo-
 rem. Quoniam verò vnum de præcipuis fa-
 cri huius status muneribus est, precum diui-

B 2 narum